



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Auctarium. Sive Additiones Ad Viri Clarissimi Henr. Zoesii  
J.V.D. Universum Jus Canonicum**

**Geismar, Justus Moritz von**

**Coloniæ Agrippinæ, 1691**

Ad tit. 5. de Magist & ne aliq. &.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62259)

Consuetudo, ut pro Episcopis, Abbatibus, vel aliis prælatis in sedem ponendis, seu exequiis mortuorum aliquid exigatur, observanda non est. Gonz. *ad cap. cum in Ecclesia 8. h. t.*

*Ad num. 40. in fine adde.* Obtinens beneficium simoniacè pretio interveniente, ab eo removeri debet. Gonz. *ad cap. in sinuatum 12. h. t.*

Pro spiritualibus assequendis homagium fieri non debet. Gonz. *ad cap. ex diligenti. 16. h. t.* Fagnanus.

*Ad num. 46. Busenb. lib. 4. c. 2. dub. 1. art. 6.* Pensio est jus percipiendi fructus ex alieno beneficio. Estque triplex. 1. Temporalis, quæ datur propter ministerium spirituale, v. g. Cantori, educto, 2. Spiritualis, quæ fundatur in titulo merè spirituali, ut quæ datur Concionatori, Coadjutori Episcopi. 3. Media quæ fundatur in statu spirituali, nõ tamen officio spirituali, ut quæ datur Clerico pauperi, vel Parocho seni ad sustentationem, vel quæ datur causi resignationis, vel litis componendæ. Duæ posteriores dicuntur Clericales, quia Clericis, prima laicalis, quia laicis tantùm datur.

*Ad num. 86. in fine adde.* Simonia adæquatè in mentalem, conventionalem & realem dividitur, non tanquam genus in diversas species, sed tanquam subje&u in diversos modos seu status.

#### AD TIT. V.

*De Magistris, & ne aliquid exigatur pro licentia docendi.*

*Ad num. 1. in fine adde.* Vel licentia docendi Theologiam provenit

à Rege, vel potestate sæculari, & tunc vendens eam, non simoniam, sed turpe lucrum committeret. Vel provenit à potestate spiritualis jurisdictionis, sicut si Prælatus alicui concedat docendi licentiam, & tunc esset simoniacus, non propter spiritualitatem rei venditæ, sed actionis ipsius seu licentiæ, quæ à potestate spirituali provenit. Sicut si Judex Ecclesiasticus venderet Sacerdoti facultatem exercendi officium Advocati propter abusum spiritualis jurisdictionis. Et in hoc sensu inquit, prohibetur tanquam simoniacum & contra illud: *Gratis accepistis in cap. 2. de Magistris.*

#### AD TIT. VI.

*De Indis & Saracenis.*

*Ad num. 1. Observe ex Busenb. lib. 2. tr. 1. c. 4. dub. 1.* Infidelitas generatim est triplex. Prima *negativa* eorum scilicet, qui nihil unquam de fide audiverunt, quæ non tam est peccatum, quàm pena peccati. Quia si fecissent, quod in ipsis erat, DEUS fidem eis non abscondisset. Secunda dicitur *contraria* eorum, qui fidem sibi sufficienter propositam vel contemnant, vel ei contradicunt pertinaciter ut hæretici. Tertia *privativa*, quod privativè opponatur fidei, & est culpabilis ignorantia, vel error circa res fidei. Contraria est paganismus, judaismus & hæresis, quo refertur Apostasia.

Judæus Christianum mancipium retinere non debet, sed cogitur justo pretio Christianis vendere, & si renuat, servus